

Alte Drucke

**C. IVLII || CAESARIS || COMMEN-||TARII. || Quæ in hac
habeantur editione, sequens || pagella docebit. ||**

Caesar, Gaius Iulius

Lvgdvni, 1534

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER TERTIVS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150541

proxima astate, ad se reuerti iussit. Ipse in Carnutes, Andes, Turones, quæ ciuitates propinque his locis erant, ubi bellū gesserat, legionibus in hyberna deductis, in Italiā profectus est. Ob easq; res ex literis Cæsaris dies xv. supplicatio decreta est. Quod ante id tēpus acciderat nulli.

C. IULII CAESARIS
COMMENTARIORVM
DE BELLO GAL-
LICO LIBER
TERTIVS.



VM IN Italiam proficisceretur Cæsar, Seruium Galbam cū Legionē duo, Seruius Galb. decima, & parte equitatus in Antuates, Veragros, Sebunosq; misit, qui à finibus Allobrogum, & lacu Lemano, et flumine Rhodano ad summas alpes pertinent. Causa mittendi fuit, quod iter per alpes, quò magno cum periculo, magnisq; portorijs mercatores ire consueuerant, patefieri uolebat. Huic permisit, si opus esse arbitraretur, uti in ijs legionem hyemandi causa collocaret. Galba, secundis aliquot prælijs factis, castellisq; compluribus eorum expugnatis, missis ad eum undiq; legatis, obsidibusq; datis, & pace facta, constituit cohortes duas in Antuatibus collocare, & ipse cum reliquis eius legionis cohortibus in uico Veragrorum, qui appellatur Octodurus, Octodurus. hyemare. Qui uicus positus in ualle, non magna adiecta planicie, altissimis montibus undiq; cōtinetur. Cum hic in duas par-
tes flumi

Sedunorum &
Veragrorum re
bellio.

tes flumine diuideretur, alteram partem eius uici Gallis ad hyemandum concessit, alteram uacuam ab his relictam cohortibus attribuit. Eum locum uallo, fossaq; munivit. Cū dies hybernorum complures transissent, frumentumq; eò comportari iussisset, subito per exploratores certior factus est, ex ea parte uici, quam Gallis concesserat, omnes noctu discesse, montesq; qui impendērent, à maxima multitudine Sedunorum, & Veragrorum teneri. Id aliquot de causis acciderat, ut subito Galli belli renouandi, legionisq; opprimendæ consiliū caperent. Primum, quod legionem, neque eam plenissimam, detractis cohortibus duabus, & compluribus singillatim, qui cōmeatus petendi causa nisi erant, absentibus, propter paucitatem despiciebant. Tum etiam, quod propter iniquitatem loci, cum ipsi ex montibus in uallem decurrerent, & tela conicerent, ne primum quidem posse impetum suū sustineri existimabant. Accedebat, quod suo ab se liberos abstractos obsidum nomine dolebant, & Romanos non solum itinerum causa, sed etiam perpetuæ possessionis, culmina alpiū occupare conari, & ea locata finitimæ Prouinciæ adiungere, sibi persuasum habebant. His nuntijs acceptis Galba, cum neque opus hybernorum, munitionesq; plenè essent perfectæ, neque de frumento, reliquoq; comæatu satis esset prouisum, quod deditiōe facta, obsidibusq; acceptis, nihil de bello timendum existimauerat, cōcilio celeriter conuocato, sententiās exquirere cœpit. Quo in concilio cum tantum repentini periculi præter opinionem accidisset, ac iam omnia ferè superiora loca multitudine armatorum completa conspicerentur, neq; subsidio ueniri,

ueniri, neq; cōmeatus supportari, interclusis itineribus, posset, propè iam desperata salute, nonnullæ huiusmodi sententia dicebantur, ut impedimentis relictis, eruptione facta, ijsdem itineribus, quibus eò peruenissent, ad salutem contenderent. Maiori tamen parti placuit, hoc reseruatò ad extremum consilio, interim rei euentum experiri, & castra defendere. Breui spatio interiecto, uix ut his rebus, quas constituissent, colloquendis, atq; administrandis tempus daretur, hostes ex omnibus partibus, signo dato decurrere, lapides, gessaq; in uallum conijcere. Nostri primo integris uiribus foriter repugnare, neq; ullū frustra telum ex loco superiore mittere, ut quæq; pars castrorū nudata defensoribus premi uidebatur eò occurrere, & auxilium ferre. Sed hoc superari, quòd diuturnitate pugnae hostes defessi, cum praelio excedebāt, alij integris uiribus succedebant. Quarum rerum à nostris propter paucitatē fieri nihil poterat, ac non modo defesso ex pugna excedēdi, sed ne saucio quidem eius loci, ubi constiterat, relinquendi, ac sui recipiendi facultas dabatur. Cum iam amplius horis sex continenter pugnaretur, ac non solum uires, sed etiam tela nostris deficerēt, atq; hostes acrius instarent, languidioribusq; nostris uallum scindere & fossas compleere coepissent, resq; esset iam ad extremum perducta casum, P. Sextius Baculus primpili cēturio (quem Neruico praelio compluribus confectum uulneribus diximus) & item C. Volusenus tribunus militum, uir & cōsiliij magni, & uirtutis, ad Galbā occurrunt, atq; unā esse spem salutis docēt, si eruptione facta, extremū auxiliū experirentur. Itaq; cōuocatis Cēturionibus, celeriter milites certio

Sedunorum cū
Rom. praelium.

P. Sextij Baculi,
& C. Voluseni
uirtus.

Romanorum
eruptio.

certiores facit, paulisper intermitterent praelium, ac tantummodo tela missa exciperent, seque ex labore reficeret. Post signo dato è castris erumperet, atque omnem spem salutis in uirtute ponerent. Quod iussi sunt, faciunt, ac subito omnibus portis eruptione facta, neque cognoscendi, quid fieret, neque sui colligendi hostibus facultatem relinquunt. Ita commutata fortuna, eos, qui in spem potièdorum castrorum uenerant, undique circumuentos, interficiunt, et ex hominum millibus amplius triginta, què numerum barbarorum ad castra uenisse constabat, plus tertia parte interfecta, reliquos perterritos in fugam conijciunt, ac ne in locis quidem superioribus consistere patiuntur. Sic omnibus hostium copijs fustis, armisque exutis, se in castra, munitionesque suas recipiunt. Quo praelio facto, quod sæpius fortunam tentare Galba nolebat, atque alio sese in hyberna consilio uenisse meminerat, alijs occurrisse rebus uiderat, maxime frumèti, commeatusque inopia permotus, postero die omnibus eius uici ædificijs incensis, in prouinciam reuerti contendit, ac nullo hoste prohibente, aut iter demorante, incolumen legionem in Antuates, inde in Allobrogas perduxit, ibique hyemauit. His rebus gestis, cum omnibus de causis Cæsar pacatam Galliam existimaret, superatis Belgis, expulsis Germanis, uictis in alpibus Sedunis, atque ita inita hyeme in Illyricum profectus esset, quòd eas quoque nationes adire, et regiones cognoscere uolebat, subitu bellum in Gallia coortum est. Eius belli hæc fuit causa. P. Crassus adulescens cum legione septima proximis Oceano in Andibus hyemabat. Is, quòd in his locis inopia frumenti erat, præ-

Novi belli causa.

fectos,

Etos, tribunosq; militum complures in finitimas ciuitates
 frumenti commeatusq; petendi causa dimisit. Quo in nu-
 mero erat T. Terrasidius missus in Vnellos, M. Trebuis
 Gallus in Curiosolites, Q. Velanius cum T. Sillio in Ve-
 netos. Huius ciuitatis est lōge amplissima autoritas omnis
 orae maritimae regionum earum, quod & naues habent
 Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare consue-
 uerunt, & scientia, atq; usu nauticarum rerum ceteros
 antecedit, & in magno impetu maris, atque aperto, pau-
 cis partibus interiectis, quos tenent ipsi, omnes ferè, qui
 eodem mari ui consueuerunt, habent uectigales. Ab ijs
 fuit initium retinendi Silij, atque Velanij, quod per eos
 suos se obsides, quos Crasso dedissent, recuperaturos exi-
 stimabant. Horum autoritate finitimi adducti (ut sunt Gal-
 lorum subita & repentina consilia) eadem de causa Tre-
 bium, Terrasidiumq; retinent, & celeriter missis legatis,
 per suos principes inter se coniurant, nihil nisi communi
 consilio acturos, eundemq; omnis fortunae exitum esse la-
 tuos: reliquasq; ciuitates sollicitant, ut in ea libertate, quā
 à maioribus acceperant, permanere, quā Romanorum
 seruitutem perferre, mallent. Omni ora maritima celeri-
 ter ad suam sententiam perducta, communem legationem
 ad P. Crassum mittunt. Si uelit suos recuperare, obsides
 sibi renuitet. Quibus de rebus Caesar à Crasso certior fa-
 ctus, quod ille aberat longius, naues interim longas ædifi-
 cari in flumine Ligeri, quod influit in oceanum, remiges
 ex prouincia institui, nautas gubernatoresq; comparari
 iubet. His rebus celeriter administratis, ipse, cum primum
 per anni tempus potuit, ad exercitum contendit. Vene-
 ti, reli

Veneti Galli.

Gallorum sub-
 ita consilia.

ti, reliquæq; ciuitates cognito Cæsaris aduentu, simul quod quantum in se facinus admississent intelligebant, legatos, quod nomen apud omnes nationes sanctum, inuolutumq; semper fuisset, retentos ab se, & in uincula coniectos, pro magnitudine periculi bellum parare, & maxime ea, quæ ad usum nauium, pertinerent, providere instituerunt, hoc maiore spe, quod multum natura loci confidebant, pedestria esse itinera concisa æstuarijs, nauigatione impeditam, propter inscitiam locorum, paucitatenq; portuum sciebant. Neq; nostros exercitus propter frumenti inopiam diutius apud se morari posse cōfidebant. Ac iam ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimū nauibus posse, Romanos neque ullam facultatem habere, nauium, neq; eorum locorum, ubi bellum gesturi essent, uada, portus, insulasq; nouisse: ac longe aliam esse nauigationem in concluso mari, atque in uasissimio, ac apertissimo oceano perspiciebāt. His initis consilijs, oppida muniant, frumenta ex agris in oppida comportant. Naues in Venetiam, ubi Cæsarem primum bellum gesturū esse constabat, quāplurimas possunt, cogūt. Socios sibi ad id bellum Osifinos, Lexobios, Nānetes, Ambiliates, Morinos, Diablintres, Menapios adsciscunt. Auxilia ex Britānia, quæ contra eas regiones posita est, accersunt. Erant hæc difficultates belli gerendi, quas supra ostēdimus. Sed multa tamen Cæsarem ad id bellum incitabant, iniuriæ rectorum equitum Romanorum, rebellio facta post deditonem, defectio datis obsidibus, tot ciuitatum coniuratio, in primis ne hac parte neglecta, reliquæ nationes idē sibi licere arbitrarētur. Itaq; cum intelligeret omneis ferē Gal-

los nouis rebus studere, & ad bellū mobiliter celeriterq;
 excitari, omneis autem homines natura libertati studere,
 & conditionem seruitutis odisse, prius, quā plures ciui-
 tates conspirarent, pertiendum sibi, ac latius distribuen-
 dum exercitiū putauit. Itaq; T. Labienum legatū in Tre-
 uiros, qui proximi Rheno flumini sunt, cum equitatu mit-
 tit. Huic mandat Rhemos, reliquosq; Belgas adeat, atq;
 in officio contineat. Germanosq; qui auxilio à Belgis ac-
 cersiti dicebantur, si per uim nauibus flumen transire co-
 nentur, prohibeat. P. Crassum cum cohortibus legionarijs
 xii. & magna numero equitatus in Aquitaniam profici-
 sci iubet, ne ex his nationibus auxilia in Galliam mittan-
 tur, ac tantæ nationes coniungantur. Q. Titurium Sabi-
 num legatum cum legionibus tribus in Vnellos, Curioso
 litas, Lexobiosq; mittit, qui eam manum distinendam cu-
 ret. Decium Brutum adolescentem classi, Gallicisq; nauib;
 bus, quas ex Pictonibus, & Santonis, reliquisq; pacatis
 regionibus conuenire iusserat, præfecit, & cum primum
 posset in Venetos proficisci iubet. Ipse eò pedestribus co-
 pijs contendit. Erant eiusmodi ferè situs oppidorum, ut
 posita in extremis lingulis promontorijsq; neq; pedibus
 aditum haberent, cum ex alto se æstus incitauisset, quod
 bis semper accidit horarū duodecim spatio, neq; nauibus,
 quod rursus minuenta æstu, naues in uadis affligerentur.
 Ita utraq; re oppidorum oppugnatio impediabatur. Ac
 siquando magnitudine operis forte superati, extruso ma-
 ri aggere, ac molibus, atq; his fermè mœnibus adequatis,
 suis fortunis desperare cœperant, magno numero nauium
 appulso, cuius rei summam facultatem habebant, sua
 omnia

T. Labienus in
Treuiros.

P. Crassus in
Aquitaniam.

Q. Titurius.

D. Brutus.

Gallos: naues.

omnia deportabant, seq; in proxima oppida recipiebant. Ibi se rursus iisdem opportunitatibus loci defendebant. Hæc eò facilius magnam partem æstatis faciebant, quòd nostræ naues tempestatibus detinebantur, summaq; erat uasto atq; aperto mari, magnis æstibus, raris, ac propè nullis portibus difficultas nauigandi. Namq; ipsorum naues ad hunc modū factæ, armatæq; erant. Carinæ aliquanto planiores, quàm nostrarum nauū, quo facilius uada, ac decessum æstus excipere possent. Proræ admodum erectæ, atq; item puppes ad magnitudinem fluctuum, tempestatumq; accommodatæ. Nauesq; totæ factæ ex robore, ad quamuis uim, & contumeliam perferendam. Transstræ ex pedali bus in altitudinem trabibus confixa clauis ferreis, digiti pollicis crassitudine. Ancoræ pro funibus, ferreis catenis reuinctæ. Pelles pro uelis, alutæq; tenuiter cōfectæ, siue propter lini inopiam, atq; eius usus inscitiam, siue, quod est magis uerisimile, quòd tãtas tēpestates occa ni, tantosq; impetus uentorum sustineri, ac tanta onera nauium regi uelis, non satis commode arbitrabatur. Cum his nauibus nostræ classi eiusmodi congressus erat, ut una celeritate, & pulsu remorum præstaret: reliqua pro loci natura, pro uī tempestatum illis essent aptiora, & accommodatiora. Neque enim his nostræ rostro nocere poterant, tanta in his erat firmitudo: neque propter altitudinem facile telum adigebatur, & eadem de causa minus cōmode scopulis continebantur. Accedebat, ut cum sauire uetus cœpisset, & se uento dedissent, & tempestatem ferrent facilius, & in uadis consisterent tutius, & ab æstu derelictæ, nihil saxa, & cautes timerent. Quæ

rum

rum rerum omniū nostris nauibus casus erat extimescen-
 dus. Compluribus expugnatis oppidis, Cæsar ubi intelle-
 xit frustra tantum laborem sumi, neque hostium fugam,
 captis oppidis reprimi, neque his noceri posse, statuit ex-
 pectandam classē. Quæ ubi conuenit, ac primum ab ho-
 stibus uisa est, circiter CCCX. naues eorum paratissimæ,
 atque omni genere armorum ornatissimæ è portu profe-
 ctæ, nostris aduersæ consisterunt. Neque satis Bruto, qui
 classi præerat, uel tribunis militum, centurionibusq; qui-
 bus singulæ naues erant attributæ, constabat, quid age-
 rent, aut quam rationem pugna insisterent. Rostris enim
 noceri nō posse cognouerant. Turribus autem excitatis,
 tamen has altitudo puppiū ex Barbaris nauibus supera-
 bat, ut neque ex inferiore loco satis commode tela adijci
 possent, & missa à Gallis grauius acciderent. Vna erat
 magno usui res præparata à nostris, falces præcutæ in-
 sertæ, affixæq; longurijs non absimili forma muraliū fal-
 cium. His cum funes qui antennis ad malos distinebant,
 comprehēsi, adductiq; erant, nauigio remis incitato præ-
 rumpebantur. Quibus abscisis, antennæ necessario conci-
 debant, ut cum omnis gallicis nauibus spes in uelis, arma-
 mentisq; consisteret, his ereptis omnis usus nauium uno
 tempore eriperetur. Reliquum erat certamen positum in
 uirtute, qua nostri milites facile superabant: atque cō ma-
 gis, quod in conspectu Cæsaris, atq; omnis exercitus res
 gerebatur, ut nullum paulo fortius factum latere posset.
 Omnes enim colles, & loca superiora, unde erat propin-
 quus despectus in mare, ab exercitu tenebantur. Disiectis
 (ut diximus) antennis, cū singulas binæ, aut ternæ naues
 e circum

Classis Gallica

Nauale præliū.

e

circum

Fuga nauū
Gallicarum.

Dedant se Cæ-
sari.

Q. Tiburij
apud Vnel-
los gesta.
Viridouix.

circumsteterant, milites summa vi transcendere in hostium
naues cōtendebant. Quod postquam Barbari fieri anim-
uerterunt, expugnatis compluribus nauibus, cum ei rei
nullum reperiretur auxilium, fuga salutem petere conten-
debant. Ac iam conuersis in eam partem nauibus, quò uē-
tus ferebat, tanta subito malacia, ac tranquillitas extitit, ut
se loco mouere non possent. Quæ quidem res ad nego-
cium conficiendum maxime fuit opportuna. Nam singu-
las nostri confectati expugnauerunt, ut perpaucae ex
omni numero noctis interuentu, ad terram peruenirent,
cum ab hora ferè quarta, usque ad solis occasum pugna-
retur. Quo prælio bellum Venetorum, totiusq; oræ ma-
ritimæ confectum est. Nam cum omnis iuuentus, omnes
etiam grauioris ætatis, in quibus aliquid consilij, aut di-
gnitatis fuit, eò conuenerant, tum nauium, quod ubiq; fue-
rat, unum in locum coëgerant, quibus amissis, reliqui ne-
que quò se reciperent, neq; quemadmodum oppida de-
fenderent, habebant. Itaq; se, suaq; omnia Cæsari dedide-
runt. In quos eò grauius Cæsar uindicandum statuit, quò
diligentius in reliquum tempus à Barbaris ius legatorum
conseruaretur. Itaque omni senatu necato, reliquos sub
corona uendidit. Dū hæc in Venetis geruntur, Q. Ti-
turius Sabinus cum his copijs, quas à Cæsare acceperat,
in fines Vnellorum peruenit. Iis præerat Viridouix, ac
summam imperij tenebat earum omnium ciuitatum, quæ
desecerant. Ex quibus exercitum, magnasq; copias coë-
gerat. Atque his paucis diebus Auleri, Eburonices,
Lexouijq; senatu suo interfecto, quod autores belli esse
nolebant, portas clauscrunt, seq; cum Viridouice con-

iunxo

iunxerunt. Magnâq; præterea multitudo undiq; ex Gallia perditorum hominû, latronumq; cōuenerat, quos spes prædandi, studiumq; bellandi ab agricultura, & quotidiano labore reuocabat. Sabinus idoneo omnibus rebus loco castris sese tenebat, cum Viridomix contra eû duum millium spatio consedisset, quotidieq; productis copijs pugnandi potestatem faceret, ut iam non solum hostibus in contemptum Sabinus ueniret, sed etiam nostrorum militum uocibus non nihil carperetur. Tãtãq; opinionem timoris præbuit, ut iam ad uallum castrorum hostes accedere auderent. Id, ea causa faciebat, quòd cum tanta multitudine hostium, præsertim eo absente, qui summam imperij teneret, nisi æquo loco, aut oportunitate aliqua data, legato dimicandum non existimabat. Hac confirmata opinione timoris, idoneum quendam hominem, & calidum delegit Gallum, ex ijs, quos auxilij causa secum habebat. Huic magnis premijs, pollicitationibusq; persuadet, uti ad hostes transeat, & quid fieri uelit, edocet. Qui ubi pro perfuga ad eos uenit, timorem Romanorum proponit. Quibus angustijs ipse Cæsar à Venetis prematur docet, neque longius abesse, quin proxima nocte Sabinus clam ex castris exercitum educat, & ad Cæsarem auxilij ferendi causa proficiscatur. Quod ubi auditum est, conclamant omnes occasionem negocij bene gerendi amittendam non esse, ad castra iri oportere. Multæ res ad hoc consilium Gallos hortabantur. Superiorum dierum Sabini cunctatio, perfugæ confirmatio, inopia ciuium, cui rei parum diligenter ab his erat prouisum, spes Venetici belli, & quod ferè libenter homines

id, quod uolunt, credunt: iis rebus adducti, non prius Viridonicem, reliquosq; duces ex consilio dimittunt, quam ab his sit concessum arma uti capiant, & ad castra cōtendant. Quare concessa, lati uelut explorata uictoria, sermentis, uirgultisq; collectis, quibus fossas Romanorū compleant, ad castra pergunt. Locus erat castrorum editus, & paulatim ab imo accliuus circiter passus mille. Huc magno cursu contenderunt, ut quā minimum spatij ad se colligendos, armandosq; Romanis daretur, exanimatiq; peruenirent. Sabinus suos hortatus, cupientibus signum dat. Impeditis hostibus propter ea, quae ferebant onera, subito duabus portis eruptionē fieri iubet. Factum est opportunitate loci, hostium in scitia, ac defatigatione, uirtute militum, ac superiorum pugnarum exercitatione, ut ne unum quidem nostrorum impetum ferrent, ac statim terga uerterent. Quos impeditos, integris uiribus milites nostri consecuti, magnum numerum eorum occiderunt, reliquos equites consecrati, paucos, qui ex fuga euaserant, reliquerunt. Sic uno tempore & de nauali pugna Sabinus, & de Sabini uictoria Caesar certior factus est, ciuitatesq; omnes se statim Titurio dederunt. Nam ut ad bella suscipienda Gallorum alacer, ac promptus est animus, sic mollis, ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est. Eodem serè tempore P. Crassus cum in Aquitaniā peruenisset, quae pars (ut ante dictum est) & regionum latitudine, & multitudine hominum ex tertia parte Galliae est existimanda, cum intelligeret in illis locis sibi bellum gerendum, ubi paucis ante annis L. Valerius Praeconius legatus exercitus pul-

so, in

Galli ad Bella
suscipienda ala-
ces.

P. Crassi in Aq-
tania gesta.

fo, interfectus esset, atque unde L. Mallius proconsul impedimentis amissis profugisset, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat. Itaque re frumentaria prouisa, auxilijs, equitatuq; comparato, multis præterea uiris fortibus Tolosa, & Narbone, quæ sunt ciuitates Gallie provincie finitimæ, ex his regionibus nominatim euocatis, in Sontiatium fines exercitum introduxit. Cuius aduentu cognito, Sontiates magnis copijs coactis, equitatuq; quo plurimum ualebant, in itinere agmen nostrum adorti, primum equestre prælium commiserunt, deinde equitatu suo pulso, atque insequentibus nostris, subito pedestres copias, quas in conualle in insidijs collocauerant, ostenderunt. Hi nostros disiectos adorti, prælium renouauerunt. Pugnatum est diu, atque acriter: cum Sontiates superioribus uictorijs freti, in sua uirtute totius Aquitanie salutem positam putarent. Nostrum autem, quid sine imperatore, & sine reliquis legionibus adolescentulo duce efficere possent, perspicere cuperent. Tandem confecti uulneribus, hostes terga uertere. Quorum magno numero interfecto, Crassus ex itinere oppidum Sontiatum oppugnare coepit. Quibus fortiter resistentibus, uineas, turresq; egit. Illi aliàs eruptione tentata, aliàs cuniculis adaggerem, uineasq; actis, cuius rei sunt longe pertissimi Aquitani, propterea quod multis locis apud eos, ararie secturæ sunt, ubi diligentia nostrorum nihil his rebus profici posse intellexerunt, legatos ad Crassum mittunt, seq; in deditionem ut recipiat, petunt. Qua re impræparata, arma tradere iussi, faciunt. Atque in ea re omnium tonius sic in nostrorum intentis animis, alia ex parte oppidi* Adcan= fra.

Sontiates.

Sontiatu fugæ.

Soldurij qui.

tuannus, qui summam Imperij tenebat, cum sexcentis deuotis, quos illi soldurios appellant, quorum hæc est conditio, ut omnibus in uita commodis unà cum his fruantur, quorum se amicitia dediderint. Si quid ijs per uim accidat, aut eundem casum unà ferant, aut sibi mortem consciscant: neque adhuc hominū memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitia deuouisset, mori recusaret. Cū ijs Adcantuannus eruptionem facere conatus, clamore ab ea parte munitionis sublato, cum ad arma milites concurrissent, uehementerq; ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum est, uti tamen eadem deditionis conditione uteretur, à Crassō impetrauit. Armis, obsidibusq; acceptis, Crassus in fines Vocontiorum, & Tarusatorum profectus est. Tum uero Barbari cōmoti, quod oppidum & natura loci, & manu munitum paucis diebus, quibus eò uentum erat, expugnatum cognouerant, legatos quoquo uersus dimittere, coniurare, obsides inter se dare, copias parare cœperunt. Mittuntur etiam ad eas ciuitates legati, quæ sunt citerioris Hispaniæ, finitimæ Aquitaniæ, inde auxilia, ducesq; accerjuntur. Quorum aduentu magna cum autoritate, & magna cum hominum multitudine bellum gerere conantur. Duces uero hi deliguntur, qui unà cū Q. Sertorio omnes annos fuerant summamq; scientiam rei militaris habere existimabantur. Ii consuetudine Populi Rō. loca capere, castra munire, commedatibus nostros intercludere insistant. Quod ubi Crassus animaduertit, suas copias propter exiguitatem non facile diduci, hostem & uagari, & uias obsidere, & castris satis præsidij relinquere, ob eam causam minus commo-

de

de frumentum, commeatumq; sibi supportari, in dies hostium numerum augeri, non cunctandū existimauit, quin pugna decertaret. Hac re ad concilium delata, ubi omneis idem sentire intellexit, posterum diem pugnae constituit. Prima luce productis omnibus copijs, duplici acie instructa, auxilijs in mediam aciem collocatis, quid hostes consiliij caperent, expectabat. Illi, & si propter multitudinem, & ueterem belli gloriam, paucitatemq; nostrorum se tuto dimicaturos existimabant, tamen tutius esse arbitrabantur, obsessis uijs, commeatu intercluso, sine ullo uulnere uictoria potiri. Et si propter inopia rei frumentariae Romani sese recipere coepissent, impeditos in agmine, et subsarcinis infirmiore animo adoriri cogitabant. Hoc consilio probato ab ducibus, productis Romanorum copijs, sese castris tenebant. Hac re perspecta Crassus cum suacūctatione, atq; opinione, timidiores hosteis, nostros milites alacriores ad pugnandum effecisset, atque omnium uoces audirentur, expectari diutius nō oportere, quin ad castra iretur, cohortatus suos, omnibus cupientibus ad hostium castra contendit. Ibi cum alij fessas complerent, alij multis telis cōiectis, defensores uallo, munitionibusq; depellerent, auxiliaresq; , quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat, lapidibus, telisq; subministrandis, & ad aggerem caespitiibus comportandis, speciem, atque opinionem pugnantium praeberent, cum item ab hostibus constanter, ac non timide pugnaretur, telaq; ex loco superiore missa non frustra acciderent, equites circuitis hostium castris, Crasso renuntiauerunt, non eadem esse diligentia ab decumana porta castra munita, facilemq;

e 4 aditum

Hostium castra
expugnata.

Aquitania se
Crasso dedit.

Cæsar apud
Morinos &
Menapios.

aditum habere. Crassus equitum præfectos cohortatus, ut magnis præmijs, pollicitationibusq; suos excitarent, quid fieri uelit, ostendit. Illi (ut erat imperatum) eductis quatuor cohortibus quæ, præsidio castris relictæ, integræ ab labore erant, & longiore itinere circumductis, ne ex hostium castris confici possent, omnium oculis, mentibusq; ad pugnam intentis, celeriter ad eas, quas diximus, munitiones peruenerunt. Atque his proruptis, prius in hostium castris cõciterunt, quam planè ab his uideri, aut quid rei gereretur, cognosci posset. Tum uero clamore ab ea parte audito, nostri redintegratis uiribus, quod plerunq; in spe uictoriæ accidere consuevit, acius impugnare cœperunt. Hostes undiq; circumuenti, desperatis omnibus rebus, se per munitiones deijcere, & fuga salutem petere intenderunt. Quos equitatus apertissimis campis consecutus, ex milliu quinquaginta numero, quæ ex Aquitania, Cantabrisq; uenisse constabat, uix quarta parte relictæ, multa nocte se in castra recepit. Hac audita pugna, maxima pars Aquitaniæ sese Crasso dedit, obsidesq; ultro misit. Quo in numero fuerunt Tarbelli, Bigerriones, Preciani, Vocates, Tarusates, Flustates, Garites, Ausci, Garumni, Sibutzates, Cocosatesq; Pauca ultime nationes anni tempore confisæ, quod hyems suberat, id facere neglexerunt. Eodem serè tempore Cæsar, & si propè exacta iam æstas erat, tamen quòd omni Gallia pacata Morini, Menapij; supererant, qui in armis essent, neq; ad eum unquam legatos de pace misissent, arbitratus id bellum celeriter confici posse, eò exercitum adduxit. Qui longe alia ratione, ac reliqui Galli bellum gerere cœperunt. Nam quòd

quod intelligebant maximas nationes, quæ prælio contendissent pulsas, superatasq; esse: continentesq; sylvas, ac paludes habebant, eò se, suaq; omnia contulerunt. Ad quarum initium sylvarum cum peruenisset Cæsar, castraq; munire instituit, neq; hostis interim uisus esset, dispersis in opere nostris, subito ex omnibus partibus syluæ euolauerunt, & in nostros impetum fecerunt. Nostri celeriter arma coeperunt, eosq; in syluas repulerunt, & compluribus interfectis, longius impeditioribus locis secuti, paucos ex suis desyderauerunt. Reliquis deinceps diebus Cæsar sylvas cedere instituit, & nequis incrimibus, imprudentibusq; militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam, quæ erat cæsa, conuersam ad hostem collocabat, & pro uallo ad utrunq; latus extruebat. Incredibili celeritate magno spatio paucis diebus confecto, cum iam pecus, atque extrema impedimenta ab nostris tenerentur, ipsi densiores sylvas peterent, eiusmodi tempestates sunt consecutæ, uti opus necessario intermitteretur, & continuatione imbrium, diutius sub pellibus milites contineri non possent. Itaq; uastatis omnibus eorum agris, uicis, ædificijsq; incensis,

Cæsar exercitum reduxit, & in Aulercis, Lexobijsq; reliquis item ciuitatibus, quæ proxime bellum fecerant, in hybernis collocauit.